

prii amplificandi ardore ducuntur, quam qui Religionem totis nervis defendere & extendere conantur, injurias propellant & divinum amorem, timorem mentibus & animis subditorum incutunt, ut probavimus *supra* num. 89. & sequent. & aperte docemur Deuteron. cap. 7. vers. 7. & auctoritate D. Prosper. in lib. Sent. ex Augustin. cap. 95. ubi inquit: Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas fortitudinem Christianorum Dei caritas facit. Quibus alia adjicit P. Marquez in Gubernat. Christian. lib. 1. cap. 30. & 31.

- 108 Præterquam quod eo tempore, quo t̄ Catholici Reges Ferdinand. & Elizabeth, Columbo ductore, navales illas expeditiones cœperunt, divitiarum cumulos, qui in his regionibus latebant, penitus ignorabant, atque ita nihil de eorum gloria, & pietate t̄ detrahere potest, quod illos postea forte oblatos acciperent, & in suscepto propaganda Fidei voto hujusmodi veluti illecebris, aut retinaculis diligentius & alacrius perseverarent, cum Deus forsitan hoc etiam fine tales divitias præparasse videri possit, ut notavimus *supra* c. prox. n. 40. 41. & 58. Et t̄ omnes homines ea natura sumus, ut etiam ad res pias & honestas magis accendamus, cum aliqua simul species utilitatis obijcitur: ut præclare docet M. Tull. lib. 3. offic. Ovid. lib. 2. de Ponto, eleg. 3.

Nec facile invenies multis in millibus animum
Virtutem pretium qui parat esse sui.
Ipse decor recti facti si præmia desint,
Non movet & gratis panit esse probum.

Et de bellicarum t̄ expeditionum materia loquens Herodot. lib. 5. inquit: Operæpretium non est, suscipere prælia pro terra neque multa, neque ita feraci, & pro exiguis finibus, adversus eos, quibus nihil est neque auri, neque argenti, quarum rerum cupiditate quis inducitur ad mortem periclitandum. Et Lactant. Firmian. lib. 7. cap. 4. de præm. Divin. ita ait: Quis est t̄ vel tam ineptus, vel tam otiosus, ut aggredietur facere aliquid frustra, ex quo nullam utilitatem, nullum commodum speret?

Maneat ergo gloria & majestas Regum & Regni nostri adversus invidorum calumnias Dei providentia, directione, protectione, & tanti Orbis conversione, & accessione suffulta, & ut virulentis illis poematis, num. 99. relatis, alio priori & t̄ veriori, satisfiat, caput, & librum istum sic Regem & Hispaniam nostram alloquentes claudamus:

Magnus Alexander quem frustra optaverat Orbem
Equalē meritīs Dī tribuere tuis.
Quem vincas, quem pace regas, cui sidera monstras,
Æterno doceas sacrificare Deo.



LIBER SECUNDUS
IN QUO DE ACQUISITIONIS TITULIS
singulari studio, & diligentia disseritur.

CAPUT I.

Quam sit nobilis, & difficilis hæc de justa Indiarum acquisitione tractatio, & a quibus fuerit serio, aut etiam perfunctorie agitata.

SUMMARIUM.

- 1 Auctor cur in primo libro Historicum, & Cosmographicum egerit.
- 2 Scriptores librorum omnibus disciplinis uti debent.
- 3 Apes imitari debent, qui libros legunt, & scribunt.
- 4 Auctoris tractatio in hoc libro secundo circa quid verari debeat, & qualiter instituenda. Et num. 50.
- 5 Indiarum Occidentium acquisitionis disputatio multis difficultatibus visa est.
- 6 Gloria major ex arduis, & difficilibus comparatur.
- 7 Labor major impendi debet, ubi major utilitas speratur.
- 8 Regum Hispania dignitas, & majestas, ob Indiarum acquisitionem, temere ab aliquibus calumniatur.
- 9 Subditi debent famam, & honorem dominarum sicut vitam tueri.
- 10 Vassalli qualiter jurent defendere vitam, & honorem Domini.
- 11 Auctor numquam intendit aliorum scriptorum dicta suppressere, aut pro suis venditare.
- 12 Scriptorum priorum laus posterioribus quoque juste aliquando debetur.
- 13 Librum suum quis illum appellare potest in quo aliorum dicta bene, & distincte congesti, etsi de reo nihil adjicias.
- 14 Accursius in Juris glossis pauca de suo habet.
- 15 Speculator fatetur, se ex aliorum velleribus telam suam ordiri.
- 16 Græci Philosophi & Poeta, plurima ab aliis dicta pro suis venditarunt.
- 17 Macrobius elegans locus expenditur.
- 18 Lubianus qualiter eos laudet, qui alienis scriptis commode uti sciunt.
- 19 Auctores recententur, qui generaliter tractant de dominio infidelium, & an ab illis auferri possit.
- 20 Auctorum operosa nomenclatura proponitur, qui de justitia acquisitionis Novi Orbis ex professu, vel perfunctorie tractarunt, & num. 39.
- 21 Joannes Lupus de Palacios Rubios, omnium primus de jure acquisitionis Indiarum disputare cepit. Chiapensis Episcopus laudatur, & plurima de ejus vita, & virtutibus, & auctoribus, qui de ejus agunt, ibid. & n. 27.
- 22 Bartholomeus de las Casas in seculo manens, & postea Ordinem Prædicatorum professus, & Episcopus creatus, pro Indorum libertate, & utilitate anxie laboravit, & n. 26.
- 23 Episcopus Chiapensis, quos libros, seu tractatus de Indorum materiis ediderit, & n. 25.
- 24 Episcopi Chiapensis tractatus de Jure Indiarum præ Tom. I. de Ind. jur.
- 25 Alia opera ejusdem Episcopi.
- 26 Ejus mors.
- 27 De ipsius virtute auctores.
- 28 Joannes Ginesii à Sepulveda vita, & scripta, præsertim quæ de justitia debellationis Indiarum vulgavit.
- 29 Ginesii Sepulveda libri de justis causis belli Indorum cur à Regio Consilio intercepti jussi fuerint.
- 30 Licent. Frias de Albornoz scriptis tractatum parum constantem de conversione, & debellatione Indorum.
- 31 Petrus Malferitus scripsit responsum Apologeticum pro justitia debellationis Indorum.
- 32 Marquardus de Susanis specialiter egit de juribus acquisitionis Novi Orbis.
- 33 Franciscus à Vargas aliqua tradit pro tuenda acquisitione Novi Orbis, & refert se longiora commentaria de hac questione edidisse, quæ auctor non vidit.
- 34 Dominic. à Soto quid scripserit, & scribere promiserit de juribus acquisitionis Indiarum, & de ratione promulgandi Evangelii.
- 35 Joan. Matienzus quos libros ediderit, & qualiter referat se in eorum de Indorum debellatione defendenda latè tractare.
- 36 Joan. Matienzus scripsit librum Hispano sermone de moderatione Regni Perù, & quid de eo auctor censeat.
- 37 Fr. Francisc. à Victoria doctas relectiones scripsit de Indis insularis, sive de veris affectibus titulis dominationis eorum.
- 38 Gregorius Lopez laudatur, & qualiter scripserit de juribus dominationis Indiarum, refertur.
- 39 Acquisitionis, & retentionis Novi Orbis jura, & tituli multi Doctores variis in locis examinant qui numerantur.
- 40 Josephi Acosta scripta laudantur.
- 41 Just. Heurnius scripsisse librum de legatione Evangelica ad Indos capessenda, quem auctor non vidit.
- 42 D. Martha scripsit latè de dominio Infidelium, & Indorum, & Romani Pontif. potestate super eos.
- 43 Hieron. Cevallos laudatur, & qualiter scripserit de justitia acquisitionis, & retentione Novi Orbis.
- 44 Novi Orbis acquisitionis, & retentionis tituli à præstantissimis Hispania J. C. tractari debuisse.
- 45 Magnos in magnis occupari decet.
- 46 Auctor sperat, se aliquid in titulis acquisitionis Novi Orbis congerendis, & illustrandis præstiturum.
- 47 Primum locum inscribendo qui assequi non potest, non ideo intenti sui proveniunt continere debet, ex Cicerone.
- 48 Mare liberum titulus est cujusdam libri ab Anonymo aliquo hæretico editi, contra jura acquisitionis & retentionis Indiarum.
- 49 Hæretici, & sectarii contumeliosi, & procaces sunt, ubi cum Catholicis certant.
- 50 D. Seraphinus Freitas Lusitanus laudatur, & ejus tractatus contra alterum Maris liberi.
- 51 Bened. Argidius etiam Lusitanus eidem libro, licet non

non ita ex professo, responder. 52 Mendax meretur, ut etiam cum vera dicat, ei non credatur. 53 Adulatores tibi, & iis, quibus adulantur, damnari sunt.



Superiore libro, ea omnia (ni fallor) satis dilucide exposui, & illustravi, quae necessaria visa sunt ad cognoscendum nomen, situm, naturam, historiam, ac gloriam derectionis Indiarum Occidentalium, de quarum jure sermonem & tractationem inivimus. In quo parum vereor Aristarchorum censuram, si qui forte me potius Historicum, aut Cosmographum, quam Jureconsultum egisse causentur. Susceptum quippe opus id, ut apparet desiderabat, neque aliter ejus compago constare poterit, quam si ex separatis, & diversis disciplinis, aedificii hujus universitas construatur. Ut in simili scribit Javolen. in l. eum qui ades 23. ff. de usucap. & Senec. epist. 74. dum ait:

Invicem haec studia commutanda esse, & alterum altero temperandum, ut quidquid sectione collectum est, stylus redigat in corpus, apum imitatione, & quae vagantur, & flores, ad mel faciendum idoneos, carpunt; deinde quidquid atulere disponunt, ac per favos digerunt: & ut Virgil. noster ait:

Liquentia mella
Stipant, & dulci distendant nectare cellas.

Quae etiam elegantia similitudine usos reperio Lucret. lib. 3. de natur. rer. in princip.

Floriferis ut aper in salibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.
Aurea, perpetua semper dignissima vita.

Horat. lib. 4. Carmin. Ode 2. Simonidem apud Plutarch. in ejus vita, Isocrat. in fin. orat. ad Demonic. ubi sic inquit. Nam ut aper videmus omnibus quidem flosculis insidere, de singulis autem utilia carpere: sic eruditionis comparanda studiosos, nihil inexploratum relinquere, sed profutura quae sunt undique colligere licet. Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 1. ubi verba Senecae ad literam mutuatur, & terti ego in meo tract. de crim. parric. lib. 1. c. 13. Neque abest D. Hieron. adversus Vigilant. sic scribens: Operis mei est, & studii, multos legere ut ex plurimis diversis flores carpam: non tam paraturus omnia, quam quae bona sunt, electurus: assumo multos in manus meas, ut à multis multa cognoscam.

Nunc vero rerum ordine ita exigente, Nomenclonicum sermonem (id est mixtum ex Civilis, & Canonici juris disciplina) & maxima etiam ex parte Theologicum instituimus, dum in secundo hoc nostrae tractationis libro de iuribus, siue titulis agere destinamus, quibus foelicissimi & potentissimi Hispanorum Reges, & Domini nostri has Noyl Orbis Provincias tot laboribus, & expensis (ut diximus) perlustratas, ditioni suae subijcere, & adjicere potuerunt.

In quo plane agnosco, & arduum me, & difficile onus meis humeris imposuisse cum hac disputatio tot opinionum, & argumentorum nodis,

& anfractibus implicetur, & plures doctissimi & praestantissimi viri eam suscipere ausi non fuerint, vel sub ceptam, non satis pro dignitate & utilitate tractaverint: Sed vel hoc ipsum movere me potuit, & debuit, ut in hanc curam notis viribus & nervis intenderem. Nam, & ut ait Ovid. lib. 4. Trist. eleg. 3.

Ardua per preceps gloria vadit iter,
Et Propert. lib. 4. eleg. 11.
Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vitrem
Non juvat ex facili laeta corona jugo,
Et Horat. lib. 1. Serm. Satyr. 2.
Leporem venator ut alta
In nive sectatur positum, sic tangere nolit;
Captat, & apponit: meus est amor huic similis: nam
Transvolat in medio posita, & fugientia captat.

Quibus adjicere verba D. Petr. Chrysolog. serm. 91. dum inquit: & Aurum de terra legere, qui nocuerunt, ubi divitem senserint venam, ibi quidquid artis est, quidquid laboris impendant.

Accedit his nostrorum Regum auctoritas & majestas, & quae cum hujus acquisitionis causa ab exteris, & aliis non bene instructis, nec res, & historiae Indiarum satis doctis hominibus labefactetur, pro ea vindicanda, & sarra ac recta tuenda: non minus quam pro artis, & focus pugnare, debemus. Subditorum quippe munus, & veluti insita à natura conditio requiritur, ut sicut vitam Domini, ita etiam honorem, famam & existimationem tueantur; & si verbis aut scriptis prosocindi viderint, quibus possint modis calumniantium cavillationes repellant, ut habetur in c. 1. de forma fidel. jun. 7a, l. justa, ff. de manum. vind. & in c. tibi Domino, dist. 36. & cum communis feudistarum Schola late tradit Henric. Rosenthal. 2. tom. cap. 10. conclus. 17. & Matth. de Afilid. in c. 1. n. 19. qualiter jurare deb. vassal. dom. fidelit. ubi inquit: & Sacramento fidelitatis contineri, quod vassallus dominum suum in totum exaltabit, quantum poterit, & nunquam vitam, aut membrum, neque honorem, quem habet, sua voluntate, consilio, vel exhortatione perdet, sed in iis omnibus adjutor ejus erit secundum suum posse.

Operi ergo manum admoventes, videamus imprimis oportet, quid in hoc argumento ante Nos praesertim alii, & ut sua cuique gloria tribuatur, & sicut latentia cum laude sunt prodita, ita ab eis inventa cum vituperatione, aut ignoratione non videantur esse neglecta, ut utar verbis Casiod. lib. 4. var. epist. 34. semper enim in more habui, sua cuique etiam minutissima reddere, & fateri male per quos profecerim, quam in furto deprehendi, juxta consilium Plinii in praefat. ad lib. nat. hist. Cum praesertim, ut ipse inquit, fors fiat ex usura, & laus, quae primis Scriptoribus juste conceditur, non minor interdum posterioribus deferenda sit, qui multa inventis addiderunt, vel quae à primis arripuerunt, hauseruntque, illuminati, & ordinatius posteris tradunt, ut novissimè advertit, & probat Par. Joan. Pineda in Eccles. c. 12. vers. 12. num. 3. pag. 1206. & ante eum ex nostris, plura congerens, Sim. de Præcis proemio ad lib. de interpret. ult. volunt. n. 16. ubi asserit, & hac sola ratione posse Doctorem, suum appellare librum illum, in quo omnia dicta aliena reposuit, de suo autem nihil adjecit, arg. lib. 2. circa, princip. ff. de orig. jur. ibi: Non quia Papyrius

rius de suo quicquam ibi adjecit, sed quod leges sine ordine latas in unum composuit; Authent, ut eum, de appellat. cognosc. §. aliud quoque capitulum, ibi: Et dispersas, & eorum, quae de glossis Accurs. dicit Bari. in l. 2. ff. de concurs. Paul. Casr. in auth. testante, circa fin. C. de legit. hered. & de suis operibus. Speculator, & in tit. de not. crim. §. ut autem, dicens. Ut autem ex aliorum sparsis vel libris telam nobis ordianur politam, &c. Quod sumere potuit ex D. Hieron. in praefat. comment. epist. ad Ephes. dum ait: Nam quid aut Tertullianus, B. Martyrem Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium à scribendo deterruit? flamina quae ponunt priores, ut posteri vestem inde conficiant.

Quibus addo & Clement. Alexand. lib. 6. Strom. c. 1. ubi ostendit Philosophos & Poetas Græcos, quorum variae factæ fuerunt, confesos esse, præcipua sua de moribus dogmata à Socrate accepisse. Quin & plura alia ab aliis invicem surripuisse, & aliorum libros ab illis oblatos tamquam suos sibi vendicasse. Macrob. ubi supra, qui ait, quod quemadmodum apes succum varium in unum saporem mixturâ quadam & proprietate spiritus sui mutant: & nos quoque quidquid diversa lectione quasivimus, committimus stylo, ut in ordinem eo dirigente coalescat. Nam & in animo melius distincta servantur, & ipsa distinctio non sine quadam fermento, quo conditur universitas, in unius saporis usum libamenta confundit, ut etiam si quid apparuerit, unde sumptum sit, aliud tamen esse, quam unde sumptum, noscitur appareat.

Et Lucian. in Dialog. Piscator, stoe reviviscentes, in princip. & qui cum antiquis Philosophis loquens, sic ait: Quin & haec ipsa, quae proloquor, unde quam à vobis accepi? ac instar apiculae decerpens, hominibus ostendo? At illi laudant, ac aniuscujusque florem, unde, & à quo, & quemadmodum collegerim, cognoscunt, neque oratione ob floriferam hanc messim commendant. Sed verius vos ipsos ac prata vestra amenissima, qui jam varia, & versicoloria produxistis extollunt.

D. quoque August. q. de Trinit. c. 3. Utile est (inquit) plures libros à pluribus diverso stylo etiam de eisdem questionibus fieri, ut ad plurimos res ipsa perveniat ad alios quidem sic, ad alios autem sic. Et Hippocr. in lib. de arte. Scientia, inquit, votum ac opus est: invenire aliquid eorum, quae nondum inventa sunt, similiter & semiperfecta ad finem perducere, & absolvere.

Et ut omittam & celebrem illam Hostiensis, Innocentii, Abbatis, & aliorum disputationem in cap. quod super his de voto, ubi generaliter tractant de dominio rerum, quae ab infidelibus possidentur; & an, & quando ab illis auferri possit? De quo etiam late agunt omnes Theologi post D. Thom. in 2. 2. quest. 19. art. 10. idem D. Thom. de regim. Princip. lib. 3. c. 9. D. Anron. in 3. p. sum. tit. 22. c. 5. §. 8. Sylvest. verb. Papa, quest. 7. Franc. Topius in tract. de post Princip. secul. §. 7. num. final. Navar. in cap. novit, de judic. not. ab. 4. doctissimus Praeses Covarr. in regul. peccatum. 2. p. §. 10. Ferdinand. Menchac. lib. 1. quest. illustr. c. 24. Molin. de just. & jure, tract. 2. disput. 106. Ludovic. Turrian. de Fide, Spe, & Caritate. quest. 10. per duodecim articulos, ex pag. 619. ad

Tom. I. de Ind. jure.

662. & plures alii relati per Thom. Sanchez in sum 1. part. lib. 2. cap. 1. & seq. & Satyr. in Clavi Regia 2. tom. lib. 9. c. 4.

Peculiariter & de his nostris Indis Occidentalibus omnium primus disputare coepit insignis & Doctor. Joannes Lupus de Palacios Rubios, edito in hanc rem tractatu, cui titulum fecit, Insularum maris Oceani, ad quem se remittit in tract. de obtent. Regn. Navar. 2. part. §. 1. in fin. cujus tamen copiam nusquam habere potui.

Postea etiam in eodem argumento valde insudavit notissimus ille Chiapensis Episcopus, D. Fr. Bartholomæus de las Casas, qui Hispani bonis parentibus natus, & post Sacrorum Canonum studium Sacerdotii ordinem adeptus, cum ad insulam Hispaniolam, sive Sancti Dominici Inter primos illius ætatis homines trajectisset, & in seculo manens, secularibus negotiis implicatus, militares adversus Indos expeditiones observasset, & damna, & injurias quas illis fieri videbat, toto & animo doleret, pio semper, & ardenti eorum tuendorum zelo, & caritate flagravit, & cum parum suis consiliis, & sermonibus proficere cerneret, anno 1515. primum, & iterum anno 1517. in Hispaniam redit, & enixis ac repetitis libellis, & orationibus Indorum causam defendit apud Ferdin. Regem Catholicum, & eo paulo post è vita discedente, apud Caroli Casaris, tunc Flandriæ commorantis, Gubernatorem & Consiliarios, & postea eundemmet Carolum Barchinonæ personaliteradiens, plura pro illorum libertate, meliori conversione, gubernatione & tractatione proposuit, & aliquibus pro voto impetratis, aliis per illius temporis comparandationis suspensis, turis insulam S. Dominici repetit, ibique ordinem Prædicatorum ingressus & professor, & multa pro eisdem Indis juvandis constantissime passus, ad Novam Hispaniam transitum fecit, in qua non minori causa susceptam Indorum clientalem prosecutus fuit.

Postea verò Episcopatu de Chiapa donatus, prout majori fulgebatur auctoritate, majori etiam ardore, & sollicitudine in idem studium incubuit. Sed cum ob militum duritiam, & auri, atque argenti semper crescentem cupiditatem, non ut oportebat, justissimis & sanctissimis Regis edictis in regionibus adeo longinquis obtemperari videret, suaque monita multis exosa, aliis verò difficilia aut impossibilia judicari, Episcopatu, quem hac tantum causa susceperat, consulto prius Romano Pontifice, renunciavit, & iterum in Hispaniam reversus anno 1539. nullum non lapidem movit, ut verbo, & scriptis injurias & calamitates Indorum ostenderet, & ut eis obviam iretur exposularet.

Sumpraque & hinc occasione, & ut apologis responderet, quas eodem tempore Joan. Gines. Sepulveda contra aliquas ejus propositiones evulgaverat, libros quosdam n scripsit, quorum primus continet tractatum comprobatorium supremi Imperii, & universalis dominii, quod Reges Castellæ & Legionis super Indis Occidentalibus habent, eique triginta propositiones, & aliqua principia ad idem argumentum pertinentia subjunxit.

Secundus, capita ejusdem disputationis amplectitur, quæ anno 1550. coram Regio Senaru, & aliis doctissimis viris inter Episcopum & Gines.

sium habita fuit ejusdem Senatus auctoritate, ab eruditissimo Fr. Mag. Dom. Soto, qui ibidem interfuit, in summam redacta.

Tertius, & quartus, & quintus de damnis, quae Indi patiebantur, eorum libertate assenda, commendisque tollendis pertractant.

Sextus quoddam confessionarium continet, cuius tenore, ii, qui cum Indis versabantur à confessionariis examinandi essent. Hi libelli Hispani typis excusi anno 1550. & 1552. per omnium ora, & manus vagari coeperunt. Sed postea, quia sine Regii Senatus auctoritate editi erant, & aliis justis de causis colligi, & asservari jussi sunt, & praecipue dictum confessionarium, ad quod intercipiendum Regia schedula expedita reperitur Vallisoletii 5. Septemb. anno 1550. quae extat in 1. tom. sched. impr. pag. 231.

Ultra hos tractatus & alium scripsit, quem appellavit *testamentum*, & alium cui *codicilli* nomen apposuit, quos ante mortem Regi Philip. II. praesentasse, auctor est Fr. Emman. Roder. 2. tom. Regul. q. 99. art. 4. Refert etiam Fr. August. Davila Padilla in *hist. Mexic. Ord. Praed. lib. 11. c. 99.* alium librum scripsisse Latino, & Hispano sermone de promulgatione Evangelii, & alium ingentis voluminis, cui de juvenibus, & fovendis Indis titulum fecit, & Mexici in Biblioth. Domin. Coenobii asservatur.

Et tandem summus hic vir, & libertatis Indorum usque ad mortem propugnator accerrimus, plenus dierum, & virtutum Vallisoletii occubuit, ut latius haec omnia, & alia ad ejus vitam, laudes, & labores, quos pro Indis suscepit, spectantia, recenset Hieron. Benzo. *hist. Ind. lib. 1. cap. 16.* Fr. August. Davila ubi supra, c. 97. usque ad 107. Fr. Thom. Castell. in *hist. Lat. Ind. 1. p. Fr. Vincent. de las Casas in hist. Mexic. lib. 1. Fr. Alphons. Ferdin. in hist. Eccles. de nostri temp. lib. 1. cap. 6.* Joan. Boter. in *relat. univers. 4. p. lib. 3. pag. 63.* Anton. Herr. in *hist. gen. Ind. decad. 2. lib. 1. c. 12. pag. 20. lib. 2. c. 3. pag. 33. c. 34. c. 6. pag. 40. c. 15. 16. c. 21. c. lib. 4. c. 2. 3. 4. c. 5. c. decad. 3. lib. 2. cap. 3. 4. c. 5.* ubi notabiles orationes continentur, quas Barchinonae ann. 1519. coram Imperatore Carolo V. Episcopus Dariensis, & Licentiat. de las Casas habuerunt, & quibus etiam agit Hieron. Benzo. in *sua histor. Novi Orbis, lib. 1. c. 16.* & aliqua tangit Ludovic. Cabr. in *vita Philipp. II. lib. 7. c. 8. pag. 419.*

Episcopi Chiapensis temporibus praedictus & etiam Joan. Ginesius de Sepulveda floruit, qui, ut praeter alios refert Ant. Possevin. in *appar. 1. tom. pag. 880.* Cordubensis fuit, Theologiae, & bonarum literarum impense doctus, ac Caroli V. Imper. Historicus. Hic annos 81. celes, & in diversis studiis versatus, insumpsit, & obiit anno 1571. sepultus in Puralbani municipii aede maxima prope Cordubam, & varia opera scripsit, quae cum sparsim variis temporibus fuissent à Typographis evulgata, demum ab Arnoldo Myllio conquisita, simul in lucem edita sunt in officina Birmanica Coloniae anno 1602.

Et inter reliqua, ut audio, peculiarem librum elucubravit de justis causis belli contra Indos suscepti, cujus ratione, cum in pluribus Episcopi Chiapensis assertionibus contraret, & inter illos, verbo & scripto, privatim & publice multae con-

ventiones habitae fuissent, apologiam quamdam pro praedicti libri defensione vulgavit. Horum librorum copiam usque adhuc habere non potui, fuerunt & quippe auctoritate Regia in Hispania, & Indiarum Provinciis interdicti, schedula ad id apud D. Martinum exposita 19. Octobr. an. 1550. quae extat in *dist. 1. tom. schedul. imper. pag. 230.* ubi hujus prohibitionis ratio ea esse dicitur, quia extra Regnum typis excusi fuerunt, & quia non convenit, ut materia ejusmodi sine expressa, & peculiari Regis licentia pertractentur, & publica facta, vulgi linguis, & manibus conterantur.

Accipio etiam ex relatione Fr. August. Dav. in *d. hist. Mexic. Ord. Praed. lib. 1. cap. 103. pagin. 403.* quemdam & Licentiat. Frias de Albornoz in eodem argumento laborasse, & tractatum de conversione, & debellatione Indorum scripsisse, qui tamen, quoniam aliqua continebat, quae Evangelicis praecipis adversabantur, Quae torum Fidei schedula diligentia interclusus fuerit.

Viguit quoque eadem aetate & quidam Pet. Malferitus J. C. Patricius Balearis, ad cujus manus cum confessionarium Episcopi Chiapensis pervenisset, & in eo aliqua perlegisset, quae justitia Nostrorum Regum in occupatione harum Provinciarum nocere poterant, copiosum quoddam, & non male doctum consilium, sive apologeticum (ut ipse vocat) juris responsum commentus est, quo intrepide illam defendit, illudque ad Potentiss. D. D. Maximilianum Bohemiae Regem, Austriae Archiducem, direxit, qui ea tempestate Carol. V. in Regnis Hispaniae vices gerebat. Quod responsum extat inter consilia Jacobi Mandelli Albani, *vol. 2. & est 769.* in ordine.

Marquardus & etiam de Susannis tractatum eodem ferme tempore fecit de Judeis & infidelibus, in cujus prima parte, cap. 14. per tot. an. & quando infideles debellari, & propriis bonis spoliari possint? pertractat, & de his nostris Indis & eorum subjiendorum titulis speciatim nonnulla considerat.

Idem etiam licet magis perfunctorie & tetigit Franc. à Vargas in *tract. de auct. Pontif. & Episc. jurisdict. qui habetur inter tractat. Doct. tom. 13. p. 1. ex pag. 113.* ubi confirmatione 10. fateretur, multum in hac re Scriptores sae aetatis super conciliandis contrariis Innocent. & Hostiens. opinionibus dissentire, se tamen omnium eorum sententias omnibus collatis disputationibus ad concordiam, meramque veritatem reducere conatum in suis commentariis, quos tamen ego videre non potui, & an typis excuserit, prorsus ignoro.

Doctissimus & item Mag. P. Domin. Soto alii qua hunc articulum concernentia doctè, & graviter punit in *lib. 4. de just. & jur. q. 4. art. 1. c. seq. & in dist. 5. quaest. nio. art. 10. pag. 266.* c. seq. ubi addit, sibi in animo esse in *lib. 4. de just. & jur. tractatum edere de ratione promulgandi Evangelii, primum, in obsequium Fidei, deinde in gratiam Christianorum Principum. Quem tamen tractatum an ediderit, nescio; nunquam enim illius copiam assequi potui, licet eum citari videam à Ferdin. Menchac. *lib. 1. quaest. Illust. triss. c. 10. num 10.**

Idem

Idem mihi contigit in scriptis & Joan. Matienzo, qui fuit in his Peruanis Provinciis Argentini Praetorii pluribus annis Senator, & ultra Dialog. Relatoris, & accurata commentaria, quae edidit *supr. lib. 5. Recopil. alium etiam librum, quem ipse in illis citat, paraverat, sub titulo de stylo Cancellariae & refert se in eo plura pro defendenda Indorum debellatione, & subjectione dixisse in tit. 2. praeminentia 17. casu 20. declarat. 9. §. 1. glos. 1. ad quem etiam se remittit nonnulla ejusdem argumenti leviter tangens, in alio libro manuscripto Hispani sermonis, quem penes me habeo, & inscribitur de moderatione, sive gubernatione Regni Perù, qui & tamen judicio meo tumultuariè ab auctore scriptus videtur, & pauca continet, quae nobis eadem rem pertractantibus usui, & adjuvamento esse potuerit, ut ex utriusque operis collatione patebit.*

Franciscus & etiam à Victoria, Dominicani Ordinis fulgentissimus Sydus, ultra celebres illas disputationes, quas de jure belli conscripsit, duas alias elucubravit, quibus de *Indis insularis*, titulum fecit, ubi plures rationes, sive causas enumerat, ob quas illis bellum infligi possit, & veros dominationis Regum nostrorum titulos à falsis, & affectatis magistratibus resolutione distinguit. Domin. quoque Gregorius & Lupcius Regius in supremo Indiarum Senatu Consiliarius, & ob eamdem utriusque juris peritiam, & indefessum laborem omni seculo commendandus, ut aurea, & ardua glossemata, sive commentaria ostendunt, quae circa Hispanas septem Partiarum leges scripsit, sine quibus manca profectò Hispani fori jurisprudentia videri posset. Hic inquam talis, tantusque Praceptor, totis nervis in hoc idem argumentum dominationis Indiarum intendit, & cum plura hinc inde allata tentasset, tandem relictiones Victoriae, de quibus diximus, summopere probant, eas ad literam transulit, & viginti columnis consumpsit, vix, & ne vix quidem se ab hoc labyrintho, extricare potuit in *1. tit. 23. p. 2. verb. Acreconcar el pueblo à su Fe.*

Alia quoque & alii tam Theologi, quam utriusque Juris, atque etiam historiae professores de eodem articulo variis in locis tetigisse reperitur, ut constabit ex Joan. Major. in *2. Sent. dist. 44. q. 3.* Alphons. à Castr. de *justa haeret. punit. c. 14.* Alphons. Guerrer. in *specul. Princip. c. 3. n. 5.* Pet. Berlino *tract. de bello*, 2. p. tit. 12. Josephi Acost. in *libris de procurand. Ind. salute*, praecipue *lib. 2. c. 2.* Cujus doctissima & elegantissima scripta merito laudat Anton. Possevin. in *appar. 1. tom. pag. 964.* Ferdin. Mench. *lib. 1. controvers. illustr. c. 10. n. 10. c. 11. c. cap. 24. per tot. Fr. Anton. à Corduba in suo questionario, lib. 1. q. 59. Dominico Banez, Aragon. Salon. Lorc. & aliis Theologis recentioribus in 2. 2. q. 10. art. 10. Lud. Molin. de *just. & jur. tract. 2. disp. 105. c. 106.* Gregor. de Valent. in *2. disputat. 1. punct. 7. in resp. ad 2. punct. 8. per tot. Joan. Azor. lib. 8. instit. moral. c. 14. c. 25.* Emman. Roderic. 2. tom. *quaest. Regul. q. 99. art. 4. c. tom. 3. q. 32. art. 4.* Anastas. German. de *sacror. immat. lib. 3. c. 13. per totum*, praecipue *ex num. 29.* Pet. Matth. in *lib. 7. Decretal. sub tit. 9. de insulis Novi Orbis, pag. 74. c. seq. Illustriss. & Eruditiss. Cardinal. Belarm. 1. tom. controvers. 3. de Rom. Pontif. lib. 5.**

c. 2. & in recognitione suorum librorum in addit. ejusdem c. 2. §. 2. Camill. Berrell. de *praesant. Reg. Catal. cap. ex num. 224.* Anton. Possevin. in *Biblioth. tom. 1. lib. 9. cap. 15. c. seqq.* ubi de conversione Indorum aliqua tradit Fr. Thom. à Jezu in *tract. de procurand. omnium gentium salute lib. 2. p. 1. c. 5. c. lib. 5. p. 1. P. Lud. Turrian. in tract. de Fide, quaest. 19. disput. 51. c. 52. c. seq. P. Joan. de Salas. de *legibus, q. 9. disput. 7. sect. 4. pag. 120. c. q. 96. disput. 10. sect. 3. pag. 227.* Joann. Boter. in *suis relat. 2. p. lib. 4. ex pag. 238. ad 240. c. 4. p. lib. 3. per tot. praecipue pag. 72.* Anton. de Herrera in *histor. gener. Ind. decad. 1. lib. 2. c. 4.* Ludovic. Cabrera in *vita Philipp. II. lib. 7. c. 7.* Federic. Rebel. de *oblig. just. lib. 18. quaest. 25. per tot.* ubi licet de titulis Indiarum Orientalium dumtaxat pertractet, idem est ac si de Occidentalibus disseruisset. Lud. à Paramo *de origin. Inquis. lib. 3. quaest. 1. opin. 3. n. 123.* ubi citat, de eodem agentem quemdam auctorem nomine *Vaquez cons. 8.* quem invenire non potui; & sicuti neque admonitionem quamdam de legatione Evangelica ad Indos capessenda quem audio his temporibus scripsisse Justin. Heurnium Joan. filium, & typis editam Lugdun. Batavor. apud Elzeviricum in 8.*

Videre autem licuit, & juvit, quod latissime, & multum in nostris terminis scribit & D. Marta in *tract. de jurisd. lib. 1. c. 24.* ubi Romani Pontificis potestatem super Regnis, & bonis infidelium intrepide admittit, & Hieron. Ceval. 1. tom. *praesert. commun. quaest. 735.* ubi occasione illius questionis, quam disputat, an filii infidelium possint in-vitis parentibus baptizari, de titulo subjectionis Indorum aliqua tangit. Quod & idem ipse auctor, quae ejus est diligentia, & studium de Republica literaria, & nostrorum Regum dignitate benemerendi, in eorum, ut inquit, gratiam, latius prosequutus est in *4. tom. eorumdem praesert. commun. quaest. ult. ex n. 168. usque ad n. 324.* ubi n. 174. mutuatis verbis Petri Malferiti *d. cons. 769.* insano labori se indulgere velle testatur, ut veritas hujus questionis, & Indiarum Regni retentio luce meridiana clarior omnibus illucescat, quod an impleverit, aliorum judicio reliquo.

Merito & tamen ibidem *ex num. 175. ad 182.* ad hoc opus ex professo suscipiendum desiderat, & appellat insignes illos, & praestantes Jurisconsultos, & Regis nostri potentissimi Praesides, & consiliarios, quotum nomina refert. Magnos enim magna aggredi, & in magnis laborare ratio suadet, ut late docet Aristot. *lib. 4. & hic c. 3.* & egregio schemate ostendit Eucian. in *dialogo 4.*

Sed nos & eo tempore, quo Ceval. hanc ultimam questionem in vulgus emisit, scripta haec, quae nunc in publicum edimus, in privatis schedis continebamus gavisique sumus, & ingenio nostro gratulati, quod post tantos viros, qui in hoc studio, sive stadio certarant, & in hanc uberrimam messem manum miserunt, prodire adhuc in lucem, Deo votis nostris anuente, non usquequaque contemnendi, possimus, & piam illam Moabitidem imitari, spicilegium, neque sterile forsitan, neque infructuosum conficere.

Et quamvis & summa illa eruditionis fastigia, quae Cevallos exoptat, aequare non valeamus, ne-

que

que in Orchestra, sed in imis istis subsellis locum habere meruerimus, non ideo tamen ab incepto itinere desistemus. Potest enim non inconcinne huc referri quod in Oratore Cicero ait: Si quem aut natura sua, aut illa prestantis ingenii vis fortè deficiet, aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum, quem poterit. Prima enim sequentem, honestum est in secundis, tertiusque consistere: Nam in Poetis non Homero soli locus est (ut de Gracis loquar) aut Archiloco, aut Sophocli, aut Pindaro, sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos. Nec verò Aristotelem in Philosophia deterruit à scribendo amplitudo Platonis, nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia & copia ceterorum studia restrinxit.

Alacrior quoque ad hanc pugnam capessendam insurgo, quoniam audio etiam his ultimis annis librum quemdam sine Auctoris nomine pervulgatum esse, de his Indicarum dominationis

juribus plura tractantem, t cui titulus est, Mare liberum, cujus copiam hucusque nancisci non potui: nam in extremis istas mundi plagas raro similes libri perveniunt, & hujus nudinatio, & relectio per sanctæ Inquisitionis officium interdicta videtur, ut constat ex ultimo indice librorum prohibitorum anno 1612. pag. 77. Nimirum, quia ut à viro docto & pio, qui Hispaniæ ante prohibitionem illum legit, accepi, hæretici Auctoris manum & ingenium redolebat impie in Reges nostros, & quod gravius est, in Romanam Ecclesiam debacchantis. Pro accepta scilicet ejusmodi

49 Sectariorum invercundia, qui nullam veritatis, aut decori rationem in suis doctrinis asserendis & adstruendis habent, quidquid in buccam venit, affirmant, & contumelias & injurias magis quam rationibus certant, ut rectè observat Balrh. Chav. de not. vera relig. lib. 4. c. 2. ut planè ad eos pertinere illud Greg. Nazianz. in orat. 1. Veritatis doctrinam adulterant, omnibus assentantur, ventriloqui sanè, & vaniloqui, voluptatibus suis servientes, verbis à terra prolatis, & in terram presumentibus, ut maxime apud vulgus gloriam, & nominis celebritatem consequantur.

50 Cui t ffortè, postquam hunc nostrum typis eudendum tradidimus, plenè respondisse video, doctum pariter ac Reverendum Patrem D. Seraphinum Fratas Lusitanum in altero cui de justo Imperio Asiatico, titulum fecit, ubi Indiæ Orientalis navigationem, & conquestionem per Lusitanos factam erudite defendit, & nonnulla etiam breviter pungit, quæ ego lætus pro his nostris Occidentalibus disserueram, ut Lectori facillè ex utriusque tractationis collatione patebit.

Eumdem laborem, licet non ita serio, aggressus quoque videtur alter novissimus Lusitanus, cui nomen Benedictus Egidius, in commentariis ad l. ex hoc jure, ff. de just. & jur. 1. part. cap. 3. ex n. 13. ad 32. sed neque hic nostrum usquequoque inutilem redet. Pergam igitur mactè animo, distinctis capitibus singulos titulos, qui mihi in hanc rem perpendi posse videntur trutinans, & exornans, obsoleto nitore, ut cum Plinio loquar, fastiditis gratiam, dubis fidem, & vetustis novitatem adstruere curans, & in unoquoque quid affirmandum, quid improbandum sit ex animi mei sententia citra omnem amoris, & lenoci-

nationis speciem resolvens. Non enim ignoro, t mendacis hic penam esse, ut etiam cum vera dicat, ei non credatur, sicuti apud Laert. lib. 3. Arist. tradit, & D. Hieronym. epist. 37. ad Julian. & habetur Eccles. 20. 26. Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore disciplinatorum assiduè erit. Et adulatores t sibi, & his, quibus arridere cupiunt, necem inferre, ut præter alios optime, & novissimè probat Dom. Regens Valenzuela cons. 99. num. 76. & eleganti carmine ostendit Jacob. Billius Carthus. in Antibolog. sacra, sic inquires:

Lingua assentatrix vitium loquentis acerbat,
Et delictatum crimine laude ligat,
Nulla sit ut lapsu reparanda cura salutis
Blanditur soniti dum male suasus honor.
Libera sit potius vox correctoris amici,
Serpere ne fibris caeca venena sinat
Nec credens medici verbis fallacibus ager,
Noxia laudare vulnera possit ames.

CAPUT II.

De primo debellationis, & dominationis Indiarum Occidentalium titulo, quem gloriosissimi Hispania Reges ex divina voluntatis concessione habere posse videntur, à qua omnium Regnorum jura dependent, & quibus illa vaticiniis, & prodigiis fuerint insinuata.

SUMMARIUM.

- 1 Deus omnium rerum est auctor, actor & moderator.
- 2 Deus non solum præstet rebus omnibus, sed interest, & inest.
- 3 Deus omnium Regnorum arbitrium in sua manu habet.
- 4 Regna & Imperia omnia immediatè à Deo proveniunt, & pendent, & plurima jura & auctores, qui de hoc tractant.
- 5 Reges omnes, & Imperatores cur in suis titulis scribant, se Dei gratia regnant.
- 6 Dei gratia se regnare dicunt aliqui Reges & Duces ut ostendant, se nullum alium superiorem in terris agnoscere, & plurimi auctores, qui de hoc tractant.
- 7 Dom. D. Frane. de Alfaro, Senator Limensis meritisimus, laudatur.
- 8 Regna & Imperia omnia cur Deus caduca, & instabilia esse voluerit.
- 9 Regnum à gente in gentem potest transferre Deus cum causa, & sine causa.
- 10 Regnorum innumeri casus, & mutationes remissè adducuntur & plurimi auctores, qui de hoc agunt, latissime recensentur.
- 11 Gens nulla reperitur, quæ certam suæ originis & regni rationem & successionem reddere possit, præter Hebræam.
- 12 Romanorum Monarchia, sicut alia cecidit, quamvis se æternam futuram jactaret.
- 13 Fortuna adversus imperia, & civitates idem jus habet, quod adversus imperantes.
- 14 Regna suas ætates habent, sicut homines, & internas causas pereunt.
- 15 Mamili Poeta eleganti carmina de imperiorum mutatione.
- 16 Diogenis locus in mutationem rerum.
- 17 Imperiorum & regnorum mutationes & casus, qui Luna & Stellis tribuunt, graviter errant.
- 18 Fati, fortune, & sortis nomine Etrusci, Dei absolutam voluntatem significare volebant.
- 19 Mundi æterna lex est, ut omnia in eo mortis, & mutationi sint subjecta.

- 60 Deus solus mortis & mutationis est expers.
- 61 Justi Lipsii elegantissima verba de rerum & regnorum mutationibus exponuntur.
- 62 Hispaniam summum Imperium Orbis habituram Vaticanii in modum proponit Justus Lipsius.
- 63 Hispania Reges titulum dominationis Novi Orbis ex promissione, & concessione divina habere videntur, & num. 31.
- 64 Rem suam quilibet potest ad alium transferre.
- 65 Deo auctore, & ductore quæ fiunt, injusta ceteri non possunt.
- 66 Cap. Dominus noster 23. q. 2. expenditur, & illustratur.
- 67 Moyse bella contra Amorrhæos, & alios ex sola divina voluntatis observatione excusant August. Abulenti. & alij, quorum loca expenduntur.
- 68 Sapientia locus, cap. 12. vers. 12. explicatur, & exornatur.
- 69 Deus justè potest omnes gentes etiam innocentes perdere, imò & beatos damnare, si id sibi placeret.
- 70 Deus cur comparatur figulo, & creatura lato ab Isaia, & D. Paulo.
- 71 Verba Abdiæ Propheta.
- 72 Repetitionis, & prolixitatis vitium fugiendum.
- 73 Thonas Bocus recutè admittit concessionem Novi Orbis à Deo Hispania Regibus factam.
- 74 Cantic. cap. 4. de Austro perstante, & aromatibus fluentibus, intelligitur de conversione Indorum.
- 75 Ob zelum Religionis Novus Orbis à Deo concessus.
- 76 Sybillarum carmina à Virgilio relata, commodè de Hispania Regibus applicantur.
- 77 Alanus Copus titulum, quem Reges Hispaniæ in utraque India habent, multum exollit, tamquam à Deo concessum.
- 78 Reges Catholicos Hispania vidri electos, & vocatos à Deo ad reducendos, & gubernandos populos Indorum, sicut olim Moyse ad reducendum, & gubernandum populum Israel, Camil. Borrel. aperit testatur.
- 79 Benedictionem & promissionem dilatationis Imperii sui factam Ecclesiæ à Prophetis, posse etiam intelligi de Regibus Hispaniæ, docet D. Valdesius.
- 80 India Orientalis titulum Regibus Lusitanis ex divina approbatione, & quasi concessione competere, docet Petr. Rebellus, & idem procedit in Occidente.
- 81 Novi Orbis Imperium, & conversionem Hispaniæ Deum retinere, & concedere voluisse, multis prodigiis, & ostentis prædicitum fuit, & n. 47.
- 82 Regnorum calamitates, & mutationes solet semper Deus prodigiis, & portentis ostendere, quod plurimi exemplis, & auctoribus remissè probatur, & que sit causa, num. 43.
- 83 Calamitatum, & suppliciorum imminentium Deus prius homines monet, ut respiciant.
- 84 Psalm. 59. verus expenditur.
- 85 Ieremie verba cap. 6. & 18. expenduntur.
- 86 Novi Orbis mutatio, & subjectio prænuuntur.
- 87 Evangelij propagationem inter Gentiles faciendam multis vaticiniis, & carminibus Sybillarum Deus prædixit.
- 88 Indi Insule Hispaniæ habuerunt notabile oraculum de Hispanorum adventu.
- 89 Demon sæpè compellitur à Deo veritatem dicere.
- 90 Prodigia, & ostenta plura notanda, quæ Mexicani habuerunt de adventu, & dominatione Hispanorum, & auctores, qui de illis scribunt.
- 91 Mexici prædixit adventum, & dominationem Hispanorum quidam captivus, qui de more sacrificabatur.
- 92 Mexici ante adventum Hispanorum homines armatos, fiebiles voces, cometes, igneos globos, & alia ostenta apparuisse.
- 93 Motezuma Monarcha Imperii Mexicani plura habuit oracula, & ostenta suæ calamitatis, & adventus, & dominationis Hispanorum, & num. 55. & 56. & sequ.
- 94 Idem apparuit indicendo Motezuma destructionem.
- 95 Avis nimis peregrina, & prodigiosa Motezuma adducitur.
- 96 Papania Motezume soror, mortua revixit, & ei suum

interitum, & Hispanorum adventum prænuuntur.

- 58 Quæcalcoati vir prudens, Novæ Hispaniæ incolis, præcis temporibus, Hispanorum adventum & dominationem prædixit.
- 59 Mexicani quatuor sæculis ante adventum Hispanorum illius vaticinium habuerunt, & à majoribus in posterum derivarunt.
- 60 Jucaranenses vaticinium habuerunt, homines Crucis vexillum, & vacas secum afferentes eorum dominaturos.
- 61 Misteca in regione reperitur notabile præsagium adventus, & dominationis Hispanorum à demonibus editum.
- 62 Argentei fluminis in regione Origuata prænuuntur incolis adventum Hispanorum, & novæ religionis prædicationem.
- 63 Vaticanum notabile adventus Hispanorum, quod Rex Tidore, se habuisse, illis significavit.
- 64 Rex insule de Tidore voluntarie imperium suum Hispanis reliquit, se ita à Deo monitum dicens.
- 65 Peruano in Regno multa vaticinia, prodigia, & ostenta Hispanorum adventum, & dominationem prænuuntur, & que illa.
- 66 Mures, & locustæ Peruanis nunquam visæ, in adventu Hispanorum, eos prodigiose infestantur.
- 67 Potosi montis argentei diticias Hispani à Deo servari, vox cælitus emissa prædixit.
- 68 Psalm. 64. versus, qui de gentibus signis Dei turbatis loquitur, de Indiæ Novi Orbis accipitur.
- 69 Fortunæ casibus omnia mundi bona, & regna, etiam tunc, cum maxime florent, subjecta esse.

Deus t omnium rerum est auctor, & actor, æterna, & provida mens, quæ cœlorum perennes orbis, quæ syderum inæquales cursus, quæ elementorum alternas vires, quæ denique omnes res superas, inferas, temperat, moderatur, gubernat. Spargit quoque verum æterna illa lux suos radios, & uno eodemque, ut ita dicam, lectu, sive nictu, sinus omnes, & abyssos penetrat cœli, terræ, maris. Nec t præest solum Divinitas hæc rebus omnibus, sed interest, imò inest, res omnes inspicit, adit, cognoscit, & cognitas, immota quadam, & ignota nobis serie dirigit, ac gubernat, ut præclarè scriptum reliquit Just. Lips. lib. 1. de constant. cap. 13.

Quo fit, ut pariter in sua voluntate, & potestate habeat t omnium Regnorum, & Imperiorum arbitrium, & distributionem, t nullusque temporalis status, aut principatus reperitur, qui à Deo auctore naturæ immediatè non proveniat, atque dependeat, licet ipsi Principes, & Monarchæ mediante humana voluntate, & institutione ad eorum fastigia provehantur, ut habetur 1. ad Roman. 13. Tim. 3. Proverb. 8. & egregiè prob. lib. 1. l. inter claras, C. de summ. Trinit. l. 1. C. de veter. jur. enuc. in princ. l. ult. C. de quad. præscript. cum aliis, D. August. in cap. quo jure, 1. distinct. cap. Constantinus, cap. duo sunt, cap. Si Imperator 96. distinct. cap. si ex bono de pen. distinct. 4. D. Chrysostom. hom. 23. in di. Epistol. ad Roman. l. 5. 6. & 7. tit. 1. part. 2. D. Thom. lib. 1. de regim. Princ. Dom. Soto lib. 4. de just. & jur. quest. 4. art. 1. Did. Perez in præmio ordin. nam. col. 7. Menchac. in præfat. controuv. illustr. num. 119. & 139. Covarr. in præf. cap. 1. Mich. Salon. de just. & jur. tom. 1. tract. de Dom. q. 2. art. 1. concl. 2. Omphal. de civili Polit. lib. 2. cap. 1. num. 1. & plurimi alij relati à Bobadill. in Polit. lib. 2. cap. 17. num. 2. vers. Pudentis: Ceval. in præf. lib. 4. quest. fin. ex n. 237. P. M. Fr. Ant. Pe-